

Idcirco veniens opto ac peto, uti benivolenciam vestri consilii adipiscar, ut sic demum effectum veritatis et iusticie promerear. Cancellarius ait: Frater vel potius pater, non te nobis, sed nos tibi servire condecet, quoniam facies tua et canicies decora bonis similem te pretendunt. Idcirco queso, ut caveas, ne te aut per te nos verecundie iacula feriant. Abba pavefactus ait: De me, pro Deo, qualiter vobis verecundia veniret, qui novus adveniens et omnibus ignotus inter vos nil gessi, unde vobis vel potius michi quevis verecundia proveniat. Ille respondit: Quoniam tua senectus omnibus honori est et tuus sermo placidus ac facundus, nobis multum complacet; ideo cavemus et summo studio exoptamus, ut tecum totaliter agamus, qualiter per te in omni loco odor bonus disseminetur et ille nequam sermo, qui ubique discurrit, per te incipiat extinguere, ut sicut hactenus dictum est: omnia venalia^a Rome¹, ita deinceps dicatur: omnia iustissima Rome. Et hoc est, quod prius dixi, quoniam verecundia nobis^b maneret, si te muneribus datis iustificaremus vel non datis premeremus. Proinde vigilanter moneo, ne in Romano palacio alicui persone aliquid des aut promittas; quoniam si te novero fecisse, et nostro consilio et domni pape carebis auxilio. Instanter enim contendimus, ut hunc venenosum sibilum a nobis compescamus. Abbas dixit: Ultra modum insipiens^c essem, si contra mandatum vestrum faciens consilio vestro me privarem. Sed tamen ad vestigia domni pape veniens quid aut quantum ponere debeo? Cancellarius dixit: Absit a vobis, ut illic aliquid ponere debeatis. Audiens hec abba gavisus est multum, eo quod illi non suppetebat dativum. Tunc cancellarius Aymericus tenens manum abbatis duxit illum ad consistorium palatii, ubi in tribunali residebat dominus papa et cardinales a dextris eius; Romanorum vero nobiliores calamistrati et sericis amicti circa vestigia eius stabant vel sedebant. Ut autem viderunt cancellarium venientem, mox surgentes fecerunt ei locum. Statim abbas provolvens se ad vestigia domni pape labiis vel oculis affixis osculabatur pedes eius. Sentiens vero pontifex, quam devoto et pio affectu abba se ageret, extensa manu levavit eum et dedit osculum et requisivit dicens: Frater, quis es

^a) das erste *a* aus *e* verb.

^b) *nos*.

^c) das erste *s* aus *c* verb.

¹) Zuerst wohl in C. Sallusti Crispi Bellum Iugurthinum c. 35: *urbem venalem*.